UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jnstitutio moralis philosophie metrica

Horatius Flaccus, Quintus

Dauentrie, 1504

Ad Jccium

urn:nbn:de:hbz:466:1-70184

Visual Library

An lebedum laudas odio maris atq; viarum?
Scis: lebedus quid ſit gabijs deſertior atq;
Fidenis vicis: tamen illic viuere vellem
Oblituſq; meorum obliuiſcendus: & illis
Neptunum procul e terra ſpectare furentem
Sed neq; qui capua romam petit imbre lutoq;
Aſperſus volet in caupona viuere: nec qui
Frigus collegit furnos & balnea laudat
Ut fortunatam plene preſtantia vitam
Nec ſi te validus iactauerit auſter in alto
Idcirco nauem trans egeum mare vendas
Incolumi rhodos & mytilene pulchra facit qd'
Penula ſolſtitio: campeſtre niualibus auris
Per brumam tiberis: ſextili menſe caminus
Dum licet & vultum ſeruat fortuna benignum
Rome laudetur ſamos & chios & rhodos abſens
Tu quamcunq; deus tibi fortunauerit horam
Grata ſume manu: nec dulcia differ in annum
Ut quocunq; loco fueris: vixiſſe libenter
Te dicas: nam ſi ratio & prudentia curas
Non locus effuſi late maris arbiter aufert
Coelum non animum mutant qui trās mare currūt
Strenua nos exercet inertia nauibus atq;
Quadrigis petimus bene viuere: quid petis hic eſt.
Eſt vlubris: animus ſi te non deficit equus.

Argumentum epiſtole. xij.

Laudat vitam Iccij ſi fructibus agrorum ſuorum quij ſibi ſatis ſunt bene liberaliter q; vtatur

Ad Iccium

¶Liber primus

Fructibus agrippę ſiculis quos colligis Icci
Si recte frueris: non eſt vt copia maior
Ab ioue donari poſſit tibi. tolle querelas
Pauper em̄ non eſt: cui rerum ſuppetit vſus
Si ventri bene: ſi lateri eſt: pedibuſue tuis: nil
Diuitię poterunt regales addere maius
Si forte in medio poſitorum abſtemius herbis
Viuis ⁊ vrtica: ſic viues protinus: vt te
Confeſtim liquidus fortune riuus inauret
Vel quia naturam mutare pecunia neſcit
Vel quia cuncta putas vna virtute minora
Miramur: ſi Democriti pecus edit agellos
Cultaq; dum peregre eſt animus ſine corpore velox
Cum tu inter ſcabiem tantam ⁊ contagia lucri
Nil paruum ſapias: ⁊ adhuc ſublimia cures
Que mare compeſcant cauſę: quid temperet annum
Stellę ſponte ſua iuſtę ne vagentur ⁊ errent
Quid premat obſcurum lunaq; quid proferat orbem
Quid velit: ⁊ poſſit rerum concordia diſcors
Empedocles an Stertini deliret acumen
Verum ſeu piſces ſeu porrum ⁊ cepe trucidas
Vtere pompeio groſpho: ⁊ ſi quid petet: vltro
Defer: nil groſphus niſi verum orabit ⁊ equum
Vilis amicorum eſt annona bonis vbi quid deeſt
Nec tamen ignores: quo ſit romana loco res
Cantaber agrippę claudi virtute Neronis
Armenius cecidit: ius imperiumq; phraates
Ceſaris accepit genibus minor: aurea fruges
Italię pleno diffudit copia cornu:

C i